

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Caput II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](#)

sacrificij vitulum duxit, sed sub lingua sua exultare non posset, si alta precia sua verba non intelligeret. Cum clamavit ergo, intellexit, quae clamavit, & exultavit in oblatione omnipotentis Dei, non solum vitulum habuit, sed etiam farinæ modios, & amphoram vini. Igitur vitulus, farina, & vinum, laus est Dei, intellectus laudis, & latitudo devote mentis. Cur autem modios, & amphora in Dei oblatione nominantur, nisi quia mensura sunt nomina? Hoc etiam quid spiritualiter indicet, Paulus exponit, di-

Cor. 7, b cens: *Vt quisque proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius verò sic.* Hinc Veritas dicit: *Mensuram bonam, & confortam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinu vestrum.* Hanc nobis mensuram custodire sacra Scriptura præcepit, dicens: *Supra te onus ne levaveris.* Sed electæ anima valde cavendum est, ut hæc tria omnipotenti Deo ardore pia devotionis offerat, & studio manifeste veritatis. Unde & ejusdem Annæ filius sacerdoti oblatus afflatur. Quod profecto & nos agimus, si cum in sancta conversatione proficiamus, cum secundis jam mentibus spiritualium gaudiorum fructuum proferimus, ad prælatorum nostrorum examen ducimus omne, quod in nobis ex superna contemplatione generatur. Et quia electi viri inter dona sublimia humilitatis suæ bonum non deruntur, sequitur:

Et adoraverunt ibi Dominum.

In domo Domini Dominum adorant, qui & altamente in supernæ patriæ contemplationem se elevant, sed per humilitatem omnipotenti Deo substernuntur, & omni corde in virtute Spiritus tam sublimiter elevantur. Hæc non ex ordine, sed summatum ad historiam, sive moralem intelligentiam exponendo perstrinximus, ut verba spiritalis cantici, quod subsequitur, secundum moralem, typicamque explanationem pauli latius indagemus.

CAPUT II.

E toravit Anna, & ait: *Exultavit cor meum in Domino.*

Cap. 11.
1. Regum
Beda.
bacis
capite.

In Annæ persona sanctæ Ecclesia typum latere jam ostendimus. Quæ nimur nato jam puer, in Domino exultare se perhibet: quia de eo, quod ad fidem Redemptoris gentilem populum traxit, vanè non tumuit, sed in eo latitiae suæ intentionem tenuit, à quo secunditatis suæ dona suscepit. Quibus nimur verbis sic latitiae suæ situm indicat, ut causam pariter exultationis ejusdem ostendat. Sterilis quidem flevit, pariens exultavit; ut sancta Ecclesia mores portenderet, quæ se in hanc vallem lacrymarum à paradisi gaudiis projectam dolet, sed pro luctuosis animabus exilii sui ærumnas patienter sustinet. In hoc tantum exultare consuevit, si in ærumnâ temporis, qua premitur, per secunditatis suæ gloriam, multiplicatis electis, celestis patriæ damnata reparentur. Dicit ergo: [*Exultavit cor meum in Domino,*] quia fructus sui propostri consecuta est. Quo in loco notandum est, quia hoc, quod glorians loquitur, orans perhibetur. Nam præmissum est: [*Et oravit Anna, & ait: Exultavit cor meum in Domino.*] Quæ autem nihil à Deo petere flagitando cognoscitur, cur orasse perhibetur? Sed quia hoc futurum esse per prophetia spiritum sancta mulier novaret, & id fieri vehementer oportet, & exultando loquitur, & orando. Exultabat quidem certitudine futurorum, vehementer exopans fieri, quod noverat, revelatione sacramenti. Sancta quoque Ecclesia inde divina beneficia amando & venerando recolit, prædicat, & orat: quia nimur id foris loquendo exequitur, quod intus miro desiderio fieri cupit, & factum magna devotione veneratur. Dicit ergo: [*Exultavit cor meum in Domino.*] quia munera, quæ ad æternæ latitiae fructum accipit, ad tempore gaudium non convertit. Sequitur: [*Et exultatum est cor meum in S. Greg. Tom. III.*]

A *Deo meo.*] Quid est cornu Annæ, nisi potestas sanctæ Ecclesie? Quod profecto cornu tunc mirabiliter se extulit, cùm Dei Filius per assumptam humanitatem nature nostræ participem se fecit. In eo igitur cornu sanctæ Ecclesie exaltatum est, in quo humana natura jam splendet supra angelos elevata. Sed in hoc, quod hunc Deum suum & salutarem sancta Ecclesia singulariter asserit, synagogæ repulsionem latenter ostendit. In Deo igitur salutari nostro exaltatum est cornu nostrum: quia sublimitas Ecclesiastica potestatis in humanitate nobis ereta est Redemptoris. Unde & de eodem Redemptore per Zacharium dicitur: *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri* *Luc. 1, 8* *fui, sicut locus est per os sanctorum Prophetarum suorum:* quia exaltatum cornu suum referit, latenter indicat, quia ante cornu habuerat, quod exaltatum non erat. Sancta quippe Ecclesia ante Redemptoris adventum cornu habuit: quia in Patriarchis, & Prophetis tam rectè vivendi ordinem, quam delinquentes corrigendi potestatem divinitus accepit. Sed tamen cornu exaltatum non habuit: quia etiæ vivere justè poterat, tamen ad Paradisi gaudia sine Redemptoris praesentia redire non poterat. Nunc autem sancta Ecclesia cornu exaltatum est: quia jam mundi Redemptorem venientem receperimus, per cuius gratiam non solum rectè possimus vivere, sed & ad paradisi gaudia transire: quia ille jam pro nobis mortuus resurrexit, in cuius morte mors obiit, & paradi-
sus se ejus fidelibus referavit. Exaltatum est ergo cornu nostrum in Deo nostro: quia effusa jam gratia sancti Spiritus, in electorum multitudinem impressam Redemptoris imaginem videmus, dum qui terrena omnia despiciunt, carnis voluptates fugiunt, propria derelinquent, tanq; altiori potestate radiant, quanq; hæc tanta virtutis insignia, in veterum multitudine sancta Ecclesia non habebat. Exaltatum est *Iohann. 1, 6* cornu nostrum in Deo salutari nostro: quia quotquot cum recipimus, dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Hoc cornu exaltare volebat Salutaris noster, cùm dicebat: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimicorum.* *Luc. 10, 19* Hinc item aëlestrem, ait: *Quodcumque ligaveris super terram, eris ligatum & in celis.* Hinc iterum repro-
mitit, dicens: *Sedebitis super sedes judicantes aude-
cim tribus Israel.* Dicat ergo Anna: [*Exultatum est
cornu meum in Deo meo,*] ut videlicet sancta Ecclesie gloria designetur, quæ singulare culmen potestatis obtinet de praesentia Redemptoris. Et quia jam in toto mundo distenditur, quæ quondam intra Iudeam persecutionibus angebatur, sequitur:

Dilatatum est os meum super inimicos meos.

Qui enim inimici Ecclesie alii, quam Judæi intelligendi sunt? Supra quos nimur dilatatum os habet: quia contra eorum perfidiam omnium gentium jam fidelium linguis movet. Os ergo sancta Ecclesia dilatatum est, quia per universum orbem diffunditur, & dum nationes universas prædicatione veritatis erudit, Judæorum stultitiam, velut dilataro ore, reprehendit. Et quia hoc inde potuit: quia venientem in carne mundi Redemptorem gaudenter exceptit, causam dilatati oris exponit, dicens:

Quia latata sum in salutari tuo.

Jam quis sit salutaris Dei, cognovimus. De quo etiam Esaias varcianus, ait: *Videbant omnes fines terræ salutare Dei.* Jesus autem nostro eloquio Salutaris dicitur: De quo etiam Habacuc fibi gaudiuni repro-
mitit, dicens: *Gaudeo in Deo Iesumeo.* Ecce veterum Judæorum vocibus Dominus Jesus Deus asseri-
tur. Sed nunc Judæi Salvatorem expectant, quem Deum esse nequaquam credunt. Sed fortasse hoc Judæi in ore suo reprobare contendunt, & dum Iesum Salvatorem interpretantur, Deum Salvatorem non unigeniti personam, sed Patris intelligenti; verumta-

men in eodem loco subditur, unde unigeniti persona A apertius demonstretur. Domine Deus, inquit, virtus mea, constitutus pedes meos in consummatione, & super excelsa statue me, ut vincam in claritate ipsius. Ecce, Deo loquitur, dicens: *Statue me super excelsa.* Sed quia dicit: *Vincam in claritate ipsius*, alius utique est, de quo dicit. Quis ergo est, de quo dicit, nisi unigenitus Dei Filius, quem non solum verum hominem, sed etiam Deum credit? Dum ergo Deo loquitur, dicens: *Gaudabo in Deo Iesu meo, & vincam in claritate ipsius*, non Deum aliud, sed Deus per longam aliam demonstrat. Haec sunt sanctae Ecclesiae rationes, haec contra Iudeorum perfidiam invincibilis assertiones per universum orbem diffusa. Dilatatum ergo os habet sancta Ecclesia super inimicos suos: quia jam, auctore Deo, ubique cognoscitur, unde & Iudeorum perfidia convincatur. Causam igitur dilatati oris audient, qui salutare Dei negant, & de gaudio Salutaris nostri feriantur argumento confusione sua. Sed feriri possunt, a blasphemis verò suis cœlare nolunt. Jam Dei salutare mundus exceptit, omnis caro vidit, Iudeus non credit: quia, ut dixi, salvatorem expectat, qui Deus non sit. Audient ergo maledictionem Prophetarum dicens: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & a Domino recessit cor eius.* In hominem Iudei confidunt, qui credere in Redemptorem refugunt, dum Antichristum in fine mundi praestolantur. In quorum confusionem, Psalmista prædicat, dicens: *Viderunt omnes fines terra salutare Dei.* Quasi perfidiam Iudeorum confundat, dicens. Quid in posterum visiones differtis? Quem expectatis, jam venit, quem promissum habuistis, jam omnibus finibus terra apparuit, cum clausis oculis, transiit; immo sic cœcificati estis, quod coram vobis tanta lux stetit, & non vidistis. Ergo, jubilate Domino omnis terra, cantate, & exultate, & psallite: psallite Deo nostro in cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tuba cornea. Jubilate in conspectu regis Domini, moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo. Flumina plaudunt manus in idipsum, montes exultabunt ante faciem Domini, quoniam venit, quoniam venit judicare terram. Quasi dicat: Quia tam immensa cœcitate prementur, ut nequam videre mereantur, vos gaudete abundantius, qui vidistis. Sed quoniam mirabiliter, atque ineffabiliter gaudentium fit, signa gaudij coactevans, ait: *Inibilate, cantate, & psallite.* D Celebritatatem quoque latitiae insinuare gesti, instrumenta ejus enumerans, dicit: *Psallite Domino in cithara, & cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tuba cornea, jubilate in conspectu regis Domino.* Quid in conspectu regis, nisi in cognitione Redemptoris? Sed à quantis hęc gaudiorum solemnitas sit agenda, exponit, dicens: *Moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* O infelix Iudea, fines terra viderunt salutare Dei, omnis terra commota jubilat, gaudet universus orbis, flumina plaudunt manus, montes exultant: sed impia Iudeorum corda non credunt, & in cœcitate sua tenebris livoris pœna feruntur. Sed quem blasphemare non metunt, sancta Ecclesia attentius commendat, dicens:

Non est sanctus, ut est Dominus.

In descriptione Redemptoris omnia incomparabilia designantur. Inde enim verus Redemptor ostenditur, quod in omni, quod ad ejus gloriam dicitur, ei nemo comparatur. Ille enim omnes redemit, qui omnibus excellit. Quod rectè contra Iudeam dicitur, qua cōaudaciū Redemptorem despicit, quod multos se habuisse viros recolit, qui magna elœuerunt laude sanctitatis. Hinc est enim, quod illuminato cœco exprobrantes dicunt: *Tu sis discipulus Iohannis, nos autem Moysi discipuli sumus, scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc nescimus unde sit.*

Hinc item gloria ntur, & dicunt: *Semen Abraham in Iohann. 8.1*

mens, & nemini servivimus umquam. Sed homo fuit Moyles, homo Abraham, homo Christus. Verumtamen illi assumpti ad locutionem Dei, iste assumptus in divinitatem. Illi assumpti ad ministerium, iste ut unigenitus assumptus ad regnum. Unde & loquitur, dicens: *Omnia, que habet Pater, mea sunt.* [*Non est sanctus, ut est Dominus.*] Hoc etiam sacra Scriptura testatur, dicens: *Cui se insidet omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Hinc Joannes, ait: *Iohann. 1.6*

Ioan. 1.6 *[Non est sanctus, ut est Dominus.]* Quia in eo, quod Dominus asseritur, sanctitatis ejus excellentia commendatur.

Sed Iudei Christum quem expectant, purum hominem asserunt, & tamen suum Dominum futurum, & singulariter sanctum credunt. Sed Psalmista illos reprobavit, nos ad fidei gaudium cohortatur,

dicens: *Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in latitia. Intrate in conspectu ejus in exultatione, scito te quoniam Dominus ipse est Deus.* Illi Dominum vocant, qui Deus non sit. Nobis ergo jubilandum, nobis in latitia serviendum, qui tales habemus Dominum, qui etiam Deus veraciter credatur, qui majestatem divinitatis, quam in se asseruit, incomparabilibus miraculis comprobavit. Qui ergo invisibilis ejus divinitatem abnegant, patentibus operibus credant. Sed quoniam mira sanctitas illa est, que peccatores sanctificati? Unde & de peccatrice muliere dicit: *Remittuntur ei peccata mulier, quoniam dilexit multum.* Hanc excellentiam sanctitatis, illa in fluxu sanguinis positra, cognoscens, ait: *Si tercero vel Mat. 9.8*

Cumbriam vestimentum ejus, salva ero. Sed quis fidem ejus assereret, si effectus fidei non pateret? Nam ut vestimentum ejus retigit, sanguis stetit. Non est ergo sanctus, ut est Dominus: quia quisquis potuit sanctus existere, ejus accepit munere, ut sanctus esse potuisset. Hoc namque sancta Ecclesia subsequenti verbo insinuans, ad eundem Redemptorem ex nimia charitate convertitur, dicens:

Neque enim est alius extra te.

Subaudit, sanctus. Extra eum sanctus aliquis es, si absque dono unigeniti, sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc afferere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat? Scriptum quippe est: *Verbo Domini califirmari sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Verbum Domini est unigenitus Dei. Quem profetè Evangelista Joannes insinuans, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in Filio, multò magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt. Potest etiam hoc sine aliqua subauditione intelligi. Cū ergo dicit: [*Nec est alius extra te.*] Quid aliud in Redemptore, quoniam divine essentie incommutabilitas designatur? Unde & Iudei blasphemantibus, dicit: *Antequam Abram ficeret, ego Iohann. 8.2 sum. Idipsum in Genesi Moysi insinuans, ait: Ego Exod. sum, qui sum.* Deo enim unigenito esse est, dissimiliter numquam esse. Qui certè status tantò longè est

E à cunctis mortalibus, quoniam clarius cognoscitur, quia momentis singulis per multa variantur. Potest hoc & ad iustitiam statum pertinere, quia electorum esse est, in Deo per iustitiam manere. Et quia unigenitus Dei, Deus est, extra eum non est alius, quia nemo electorum, nisi in ipso est. Quid si referatur ad divinitatem ejus, ut nequam intellegat humilitatis ejus evacuet: quia justus esse non potest, qui fidem non habet divine Incarnationis: Iudei ergo per hæc singula verba feruntur, qui dum Redemptorem contemnunt, Antichristum expectant, qui Deus non esse liquido comprobatur. Unde & per beatum Job dicitur: *Habent in tabernaculo ejus socij ejus, qui non est Tabernaculum Anti-* 1ob. 18.2

christi, est amor perfidiae, quo fidei contradicit Re-demptoris. In quo nimis tabernaculo Judaei nunc permanent: quia dum perfidiae sua situm amanter inhabitant, contra Redemptorem pugnant. Qui etiam ejus, qui non est, socij esse referuntur: quia in proposito suo diabolum adjuvavit, qui dum a summa illius essentia amore corruit, verum esse protinus amisit. Cui nimis non esse est, ad summam illam beatam essentiam per amoris participationem reverti non posse. Et quia Judaeorum populus, non solum ardum patrum veterum conversationem, sed etiam miraculorum ostensionem, ad augmentum elationis habuit, subditur:

Et non est fortis, sicut Deus noster.

Quasi inaniter gloriantem Iudeam reprimat, dicens: Quos magna fecisse alfruis, puri homines fuerunt: quem praedico, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. Dum ergo fortitudo respicitur, excellentia indicatur: quia nimis omnino infirma est omnis fortitudo hominis in comparatione deitatis. Quo tamen in loco assertio divinitatis non probat excellentiam operis: sed incomparabilis fortitudinis ostendit veritatem deitatis. Quasi dicat: In hoc cognoscitur, quia vera protulit: quia deitatem, quam in se afferuit, incomparabilibus operibus comprobavit. Unde per semetipsum

Ioan. 15. dicit: Si opera non fecissem in eis, qua nemo alius fecit, peccatum non haberent. Iam vero ipsa opera Exod. discutienda sunt. Moyses mare, Helias flumen divi-

2. Reg. sit: Dominus noster Iesus super mare ambulavit.

2. b Quid ergo est eleganter, in sicco profundi alveo

C viam transiunti populo exhibere, an ipsam maris

Exod. faciem viam facere? Illi quippe, qui humanitatis

deprimebantur pondere, in profundi solido viam,

qua pergerent, requirebant: sed qui insima huma-

naturae in celitudinem divinitatis assumpsisse co-

gnoscitur, super aquas virtute propria cerebatur.

Moyses de consortio sermonis Domini splendorem

34. f vultus obtinuit. Iosue orationibus solem fixit: sed

10. Ioh. 10. c quia Deus est Iesus, coram discipulis in solis virtute

resplenduit. In illius faciem filij Israhel intendere

non poterant: istius gloriam qui meruerunt cernere,

cederunt: ut aperte cognosceres, quia divinum

existeret, quo humana transiret. Huius, in monte

illis assistentibus, ab aeterno Patre dicitur: Hic est

17. u Filius mens dilectus, in quo mihi complacui, ipsum

Ibid. c audire. Et idcirco etiam Helias, qui, ne plueret,

Luc. 3. c caelum clausit, & ut plueret, reseravat, in ejus compari-

2. Pet. 1. d ratione quid est, qui, apertis celis, Patrem exhibuit testem suam divinam generationis? [Non est ergo fortis us Dominus:] quia quidquid virtutis Moyses ostenderet potuit, Dominus, non ipse fecit. Ies-

17. b sus autem omnia, que mirè gestit, propria virtute

Exod. 16. exhibuit, quia Dominus etiam Moysi fuit. Non

enim Moyses populo per deserta gradienti, sed Do-

minus manna pluit. Non Moyses, sed Dominus in

columna ignis per noctem, & nubis in die populum

Exod. præcessit. Non Moyses, sed verbum, quod factum

17. b est ad cum, aquam de rupe produxit. Non Moyses,

Num. sed Dominus voluntaria concupiscentibus exhibuit.

E Unde & Dominus Iudeos in patrum fortitudine

10. Ioh. 6. d gloriabantur, reprimit, dicens: Non Moyses, sed Pa-

ter meus dedit vobis panem de celo. Hinc Psalmista

75. 77. b non Moysen inaniter efferens, sed Dominum laudabili-

ter extollens, dicit: Facit mirabilia in terra Aegypti, in campo Thaneos, interrupit mare, & perdu-

xit eos, & statuit aquas quasi in ure. Eduxit eos in

14. f nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Eduxit

Exod. aquam de perra, & deduxit tamquam flumina aquas.

17. b Exmandavit nubibus desuper, & iannas celo aperuit,

& pluie illis manna ad manducandum, & pluit super

cos sicut pulvrem carnes. & sicut arenam mari, volatilia pennata. Dominus autem Iesus fortis incom-

A parabiliter non in aliena virtute apparuit, sed in sua. Unde & ex seipso potens, paralyticus imperans, ait: *Tibi dico surge. Hinc etiam scriptum est: Mar. 9. a Quotquot tangebant eum, salvi sicutib[us] a quocumque languore senebantur. Et iterum: Virius de illo exibat, & sanabat omnes. Hoc namque insigne fortitudinis, nec Moyses, nec Helias habere potuit, ut, dum incomparabilia signa innotescerent, adventum unigeniti apertissime designarent. Recet ergo synagoga perpetuo silentio damnatur, cum subditur: Lyc. 6. c*

Nolite multiplicare loqui sublimia. Recedant vetera de ore vestro.

B Quasi dicat: Dum incomparabiliter nova certitudo, gesta antiquorum reprehensibiliter essent. Quasi enim umbra, illa praecesserant. Sed nunc palam veri fideliæ haec Redemptoris nostri opera venerabiliter adorant: quia quod umbrabatur ibi occultatione sacramenti, in adventu Redemptoris patuit, expectasse corpus revelanda veritatis. Ergo si ad nova referantur, vetera non sunt: quia in Spiritu sancto intellecta, veritatem aliquam non recipiunt. De illo quippe renovante omnia spiritu, Psalmista precatur, dicens: *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Vetera ergo sunt, si Redemptoris operibus conferantur: sed cum ad confirmanda haec, spiritualiter illa proferimus, eo spiritu, quo haec intelligimus, illa renovantur. Sancta ergo Ecclesia dum Iudeos de vereum narratione reprehendit, quid aliud, quam eos acta Patrum spiritualia carnaliter intelligere designatur? Synagoga etenim contra sanctam Ecclesiam se tanto temerius erigit, quanto legis, & Proprietatum scientia superbius extollitur, quam suis patribus divinitus inspirata, sibi autem materialiter exhibitat didicit. Unde sequitur: [Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.] Et ut tumere desinant, subiungit, dicens: [Recedant vetera de ore vestro.] Iam quippe et vetera sunt, quæ, ut dixi, per renovantem spiritum non intelliguntur. Tale est igitur, ac si dicat: Dignum est, ut ab eorum narratione silcas, quorum novos, & splendidos sensus ignoras. Quæ nimis esti subtiliter intelligis, tumore arrogantiæ tibi præstare non debent: quia Deus scientiarum Dominus est. Redemptor quippe humani generis, quia summi Patris est Verbum, Dominus est utique omnium scientiarum. Alta quippe, & magna locutus est Esaias, magna locutus est Ieremias: sed profectò nihil dicent, si hoc Verbum scientiarum Dominus, non eis, antequam loquerentur, scientias indicaret. Unde & frequenter in libris ejusdem Esaiæ propheta legitur: *Verbum, quod factum est ad Esaiam prophetam. Frequenter & in libro Ieremie scribitur: Verbum, quod factum est ad Ieremiam prophetam. Hoc Verbum scientiarum Domini, Ioannes in altissimo summi Patris finu apiciens, ait: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hinc Paulus scientiarum Dominum Redemptorem nostrum insinuans, dicit: Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Dum ergo dicit: [Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est.] quid est aliud dicere, nisi synagogæ aperta ratione monstrare, ut tantò sollicitè taceret debeat, quanto non solum quid sint, sed etiam a quo sint ea, quæ dicit, ignorat? Quasi dicat: Illam scientiam, quam Patrum tuorum fuisse astruis, tantò tibi dare arrogantiæ non debuit, quanto non ipsorum, sed unigeniti Filii Dei fuit: & ipsam eandem scientiam non intelligis. Dicit ergo: [Recedant vetera de ore vestro.] Ut Iudei nequam depravent, quod intelligere recte non prevalent. Deus scientiarum, dicit, Dominus est,**

G iii

Dominus est, ut quod veraciter Dei esse comprobant, hominibus fallaciter non adscribant. Sed dum de verbis jaētantiae Judæa reprehenditur, quia nullo timore compungitur, etiam de occultis perfidorum cordium motibus tormenta nunciantur. Nam sequitur:

Et ipsi preparantur cogitationes.

Quasi dicar: Quem blasphemare non metuis, non solum lingue habebis judicem, sed & cordis. *Ipsa. 56. f.* Unde & per Ilaiam comminatur, dicens: *Ego opera, & cogitationes eorum venio ut congregem.* Hinc per Moylen Dominus comminans, ait: *Nonne hac condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et quia his verbis silentium synagogæ præcipitur, videamus jam, sancta Ecclesia quibus fecunditatibus sue laudibus in Annae voce glorietur. Subdens namque, ait.

Arcus fortium superatus est.

Quisnam est arcus fortium, nisi fraudulenta sa-
Aug. lib. vitia Iudaorum? Ex occulto quippe, quasi ex arcu
17. de Redemptori vulnus inflixerant, quem gentium
Croci. manibus occidebant. Sed superatus est arcus fortium: quia qui eorum vulnere obiit, à mortuis resurrexit, in cælum ascendit, promissum Spiritum sanctum discipulis misit. Unde subditur:

Et infirmi accincti sunt robore.

Appellatione quidem roboris, virtus ostenditur Spiritus sancti. Unde & cumdem Spiritum dominus discipulis repromittens, ait: *Vos autem sede-
te in civitate, donec induamini virtute ex alto. Ro-
bur autem, gratia sancti Spiritus recte dicitur, quām ut electi recipiunt, contra omnia adversa hujus sæculi fortes fiunt. Qui vero infirmi hoc loco, nisi Apostoli intelligendi sunt? Sed infirmi profectō, cùm arcus fortium tenditur, non cùm virtute ex alto vestiuntur. Nam in hora Domini-
Luc. 24. 8 cea comprehensionis scriptum de eis est, quia re-
Matt. 26. e lito domino, omnes fugerunt. An non valde infirmus tunc Petrus erat, cùm interrogantis an-
Matt. 14. e cillum vocem timuit, & Redemptorem negavit?*

e. f. Jam quippe superatus erat arcus fortium, annihi-
Act. 1. 14 lata saevitia Iudaorum, quia Redemptor morte viæta surrexerat: & tamen adhuc infirmi Apostoli, superatos fortes, clausis januis, metuebant. Sed ubi eos robur induit, liber intueri, quām fortes fecit. Repentino quippe sonitu super eos Spiritus sanctus venit, & eorum infirmitatem in mira charitatis virtutem permutavit. Cœperunt enim Christum jam robore induti predicare, qui persecutorum minas non erubescerant delitescendo fugere: & qui mulierum verba timerant, autoritatem principum, libertate frangebant. Vicit robur for- midinem, terrores, minas, & cædes superavit: & quos superveniente induit, in cœlesti militia mirabilis audaciae insignibus illustravit, ut inter flas- gella, cædes, & opprobria non metuerent, sed exultarent. Scriptum quippe de eis, hoc jam ro-
Act. 1. 14 bore indutis, est: *Ibant Apostoli gaudentes a con-
spectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomi-
ne Iesu contumeliam pati.* Hinc jam prædican-
Tacob. 1. a tes dicunt: *Omnis gaudium existimat fratres, cùm in tenatione variæ incideritis.* Bene ergo dicitur: *[Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.]* Quia prius à mortuis resurrexit, & sic ad calum Redemptor abiit, & Spiritum sanctum discipulis misit. Prius namque superandus erat arcus fortium, & post infirmi robore accingendi. Unde & scriptum est: *Nondum erat spiritus datum, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Quo in loco notandum est: quia hoc contra Judæam dicitur, quæ miracula Redemptoris tanto superbius despiciuntur.

Ioan. 7. f. *Nondum erat spiritus datum, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Quo in loco notandum est: quia hoc contra Judæam dicitur, quæ miracula Redemptoris tanto superbius despiciuntur.

A cit, quanto inter supplicia mortuum recognoscit. Dicit ergo: *[Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.]* Quasi mortem Redemptoris calumnianti synagogæ respondeat, dicens: Noli despicere, quod mori potuit: sed mirare potius, quia mortuus resurrexit, & gentis tuae saevitatem revivificando superavit. Et quia hoc de præterito ostendit, non solum denunciando ei loquitur, sed insultando. Quasi enim inaniter insultanti impropret, dicens: Quid vobis profuit occidisse, quem mortis laqueus non potuit tenere? Vos occidistis, ne post eum totus mundus ieret: sed idcirco post eum totus mundus vadit, quia verum se Dei Filium probavit, dum moriendo humanum genus redimeret, & resurgendo vi-
B ventem se monstraret, & ad cælum conscede-
ret, & Spiritum sanctum promissum discipulis de-
stinareret. Et quia pro incredulitatis suæ merito, synagoga à participatione promissæ gratiæ repulsa est, id ipsum sancta Ecclesia impropertans ei, sub-
dens, ait:

Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.

Qui fuerunt prius repleti, nisi qui cognitionem Dei, antequam ceteri populi, habuerunt? Qui ergo repleti prius, intelligendi sunt alij, quam Iudei, qui in fide conditoris fere ab ipso fuerunt principio mundi erudit? Ipsi quidem pro panibus se locaverunt. Quid enim panes hoc loco significant, nisi mysteria divinae incarnationis? Locus autem inveniendorum panum sacra est Scriptura. Unde & panis, qui de celo descendit, ad inveniendum se signoriantibus, dicit: *Scruamini scripturas, quia ipse sunt, que testimonium perhibent de me.* Pro panibus ergo se locaverunt, quia omnes scripturas accepserant, ut in eis sacramenta divinae incarnationis invenire debuissent: sed cùm panis venit, synagoga, quæ se pro pane locaverat, locum reliquit, in quo invenire panem debuit, quem quæsivit. Scripturas quidem, ut dixi, ad cognoscendum Redemptorem ha-
Ioan. 5. 6 buit, sed qui secundum scripturas venerat, venien-
tem confutavit. Famelici ergo saturati sunt: quia qui cedererunt de gentibus, dum mysteria divinae incarnationis venerantes accipiunt, cœlestem ci-
Act. 1. 14 bum habent ad internæ delectationis usum. Fameli-
ci quidem dieti sunt, quia ante adventum Re-
demptoris infidelitatis fame projecti, spiritualis refectionis cibum nullum habuerunt. Vel certè famelici dicuntur, quia spiritualis cibi dulcedinem cum magna aviditate suscipiunt. Repleti vero, qui se pro pane locaverunt, audiant quem expe-
Act. 1. 14 ctabant: *Ego sum panis vivus, qui de calo descen-
di.* Sed quia non metuebant agnoscere, respon-
debat: *Nonne hic est filius Ioseph?* quomodo di-
Luc. 4. 4 cit, quia de calo descendit? Ipse autem, qui omnia noverat, ad delectationis suæ recubitum fa-
Mat. 3. b melicos venturos prophetabat, dicens: *Amen di-
co vobis, quia ab Oriente, & Occidente, venient,
& recubent cum Abraham, Isaac, & Jacob in re-
gno calorum: filii autem regni præcipientur in tene-
bras exteriores.* Repleti ergo se locaverunt pro pa-
nibus, sed famelici saturantur, quia synagogæ filii in Scripturis sanctis pastum fidei de futura in-
carnatione Redemptoris habuerunt: sed nunc pro-
jectis illis, dum gentiles in eum veraciter cre-
dunt, divinitatis, & humanitatis ejus sacramen-
ta, in delectationis intimæ refecionis suscipiunt.
1. Cor. 10. Quia vero per egregium Doctorem dicitur: *Om-
nes eandem escam manducaverunt, & omnes cum-
dem spiritualem potum biberunt: (bibebant de
spirituali confluence eos petra, petra autem erat
Christus:) potest rationabiliter colligi, quia illi
manducaverunt, & non sunt saturati, isti manducave-*

runt, & saturati sunt. Quod nimur contra synagogam à sancta Ecclesia recte dicitur, ut iij, qui sunt sub gratia, mira celsitudine præminere sub lege positis designentur. Quid enim illis fuit se pro panibus locare, nisi sacramenta venturi Redemptoris in Scriptura sacra perquirere? Quorum profecto unusquisque manducavit, & saturatus non est: quia futuram summi unigeniti incarnationem creditit, sed presentem non vidit. Manducare quidem ei fuit, divinam Incarnationem in mentis desiderio dulciter retinere: & non saturari ei fuit, desideratum ejus presentiam non videre. Sed infirmi, qui robore accingendi erant, saturatis sua præconia ab eo, quo saturabantur pane audiebant: *Beati oculi, qui vident, que vos videtis. Amen dico vobis, quia multi reges & prophetae voluerunt videre, que vos videtis, & non viderunt, & audire, que vos auditis, & non audierunt.*

Matt. 13.
c

84.16.c

Qui enim videre volebant, jani intimæ delectationis panem per desiderium manducabant: sed quia videre non poterant, habebant gaudium desiderij, sed non habebant per fruitionem saturitas. Nam eti Scriptura dicit: *Quia panem omnem suavitatem habentem, & omnem dulcedinem Deus eis dedit:* sic dicitur ab eis accepi, sicut nosci, sicut per fidem notus ab eis per charitatis desiderium poterat concupisci. Synagoge igitur in primis patribus glorianti, iij accincti robore preferuntur, ut dum novum culmen electorum consipitur præclsum, nequaque inaniter ultra gloriatur. Et quia à discubitu sanctæ Ecclesie cibus vite numquam tollitur, futura, quam præterita insinuans, ait:

Donec steriles peperit plurimos, et que multos habebat filios, infirmata est.

Matt.
ulr. d

Quæ est sterilis, nisi sancta Ecclesia, ut supra latius in Anna typò jam diximus? Quid est ergo famelicos saturari, donec steriles pariat, nisi usque in mundi finem panem vita possidere? Quod & ipse reprobrit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi.* Non enim sunt nisi famelici, quos sancta Ecclesia parit. Ergo donec parit, famelici saturantur: quia usque in mundi finem Deo filios generat: qui dum venisse in carne Redemptorem credunt, panem vita, quem desiderant, comedunt, & plenitudine plenitudo. Sed donec sterilis plurimos parit, ea, que multos habebat filios, infirmatur. Infirmari synagogæ, est D institutione legis veteris parere non posse. Quæ enim fidem viri prioris perdidit, diabolò jam, & non Deo parit. Bene autem dicitur: Quæ multos habebat filios: quia dum in veritate scripturarum subiectum sibi populum antiquitus erudire, venturi Redemptoris adventum concepsere, de complexu caelestis sponsi filios pariebat. Nunc autem, quæ habebat filios, infirmata est, & filios non habet. Scripturas quidem suis auditoribus exhibet, sed quia Redemptorem negat, Deo filios numquam generat. Infirmari ergo dicitur, cui spiritualis fecunditas negatur. Et quia tam synagoge repulso, quam electio gentilitatis incomprehensibili Dei iudicio facta est, sequitur:

Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit: Dominus pauperem facit, et dirat: humiliat, et sublebat. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloria teneat.

Rom. 9. d

3. Aug.

10.4. lib.

23. quæst.

9. 68.

Quasi obstupescenti alicui de tam electæ gentis repulsione respondeat, dicens: Quid in his rationem queris, quæ summa ratio incomprehensibiliter facit? Quod etiam genus querendi, doctor egregius reprehendens, ait: *Homo, tu quis es, qui respondas Deo?* Numquid dicit signum factori suo:

A *Quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem sicutus ex eodem luto aliud quidem vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam?* Tale est ergo, ac si dicat: Quia omnium Dominus recte cognoscitur, opus illius, & in Judeæ abjectione, & in gentium electione venerandum, & non discutendum esse sentiamus. Mortificat quidem Dominus: quia incomprehensibili iudicio quondam electum Iudeorum populum à cognitione veritatis separat, & in perpetuum damnat. Vivificat: quia gentilitatem ad agnitionem sui unigeniti temporaliter per fidem recipit, & ad ejus contemplandam gloriam eternaliter perducit. Ad inferos dicit: quia disticto ejus iudicio, ultrix gehenna eos puniendo in perpetuum recipit, qui per culpam perfidae à veneratione se dividunt Redemptoris. Reducit ab inferis: quia gentilem populum ad filij sui fidem devotè accedentes suscipit, cui velut altus abyssi carcere extitit, immensa obscuritas erroris. Pauperem facit, & ditat: quia & repulsa Iudeam spiritibus virtutibus spoliat: & electam gentilitatem tam pretio fidei, quam bonorum operum fulgoribus exornat. Qui etiam humiliare, & sublimare dicitur. Etenim synagoga à Redemptore recedendo, sublimitatis sue alta deposita: & sancta Ecclesia Redemptorem venerando, ab imo infidelitatis, ubi projecta jacuerat, in altitudinem rectæ fidei, & Christianæ potestatis celsitudinem surrexit. Quia ergo Dei Filiu Iudea contempti gentilites promeruit, recte & illa humiliata, & ista creditus exaltata. Sequitur: [Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloria teneat.] Egenus, & pauper gentilis populus intelligitur, qui de pulvere suscitatus, & de stercore erectus dicitur: quia cum recipitur in fidem Redemptoris, & ei minima, & graviora peccata remittuntur. Quia enim facile pulvis executitur, & quem stercore inquinat, horribiliter fœdant: pulvis leviora, stercus graviora peccata significat. Bene etiam de pulvere suscitatus egenus dicitur, & de stercore pauper erectus. In illis siquidem dormiebat, à quibus levì tactu gravis suscitari poterat. In illis vero jacebat, quia lapsus in gravioribus, manu magni auxilij indigebat. Sed jam egenus, qui de pulvere suscitatur, & is, qui de stercore pauper erigitur, audiamus, quo culmine præferatur. [Ut sedeat cum principibus, & solium gloria teneat.] Qui vero principes hoc in loco, nisi sancti Apostoli designantur? De quibus nimur principibus, Deo per Psalmistam dicitur: *Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domini.* Quid est, quod pauper cum principibus sedet, nisi quia ordo prædicatorum, de gentibus electus, in sancta Ecclesia culmen Apolitice auctoritatis obtinet? Cum principibus quippe sedet: quia de throno caelestis magisterij doctrinam salutis exhibet. Et solium gloria teneat: qui bona fama odorem spargit, quibus dignitate præminet. Vel certè solium gloria teneat, & cum principibus sedet: quia & sublimitatis honore radiat, & miraculis coruscat. Sed qui tam sublimi dignitate sustollitur, qualiter uti ea debeat, indicat, cùm subjugit:

Psal. 44

E *Domini enim sunt cardines terra, & posuit super eos orbem.*

Cardines terra sunt extrema terre. Nominis autem cardinum, ipsos prædicatores electos de gentibus volunt designari. Extrema quidem teræ dicuntur, quia de vili quodammodo & abjecta gentilitate producuntur. Qui profecto cardines Domini esse dicuntur pro mortificatione proprie voluntatis. Domini quidem sunt, quia non sua querunt, sed quæ Iesu Christi. Sed dum Domini esse dicuntur, singularis quædam in eis sanctitas designatur. Qui vero Domini sunt, videant: quia super eos orbis ponitur,

non sub eis. Quid enim orbis nomine, nisi sanctæ Ecclesiæ subjecta designatur plenitudo fidelium? Super cardines quidem terra Deus orbem posuit: quia prædicatores ad hoc sanctæ Ecclesiæ propounderunt, ut eorum infirmitatem relevent, & debiles quoque ad calefactum patriam, velut superimpositum onus, portent. Non igitur se semper prælatos debent aspicere, sed quandoque subjectos: ut disciplina cohibendis virtus præsent, sed estimatione, & obedientia ministerij sape sublant eis, quibus præminent cura prælationis. Et quia magna sunt onera, quæ prædicatores sustinent, subdit, atque ait:

Pedes sanctorum suorum servabit.

Quasi dicat: Inter onera tam immensa corrident, si eorum pedes Dominus non servaret; Pedes quidem sanctorum suorum sunt affectus mentium. Qui profecti à Domino servantur: quia ab ipsis gratia mira devotionis infunditur, quia onus tantum gratauerunt. Servare quidem pedes sanctorum Dominus dicitur: quia tanti ponderis molem fugerent, si hoc intolerabiliter grave, non eis infusa desuper charitas levigaret. Possunt etiam & status fortitudinis pedum appellatione signari. Pedes verò sanctorum suorum Dominus servat, quando eos mira fortitudine roboras, ut inter tam immensa onera nequaquam cadant. Et quia non pedem, sed pedes servare dicitur, quid in utroque pede sanctorum intelligimus, nisi fortitudinem, & humilitatem? Ne enim ruamus, in utroque pede consistimus. Quicunque enim fidibus gregibus præsunt, in via, qua ad supernam patriam tendunt, modò prospera, modò adversa inveniunt. Ipsa enim prospera, quia elationem menti excitant, eam ad casum valde impugnant: verumtamen ne electa mens cadat, hinc subtiliter nictit pede fortitudinis, inde consistit pede humilitatis. Firmum quippe statum inter utramque tentationem retineret, si tam solida humilitate confisteret: ut nulla hanc prosperitas eleveret, adversitas nulla deiceret. Quid est ergo, quod dicitur: [*Pedes sanctorum suorum servabit*:] nisi quia debilis est omnis virtus hominis, sine auxilio conditoris? Infirma quippe humilitas nostra, dum prosperitatibus favore mulcetur, ab inceptis latitiae impulsu prosteratur. Infirma fortitudo nostra, dum adversitate impingitur, leviter superatur. Sed trifibis elidimur, latitiae enervamur: cum nos nobis omnipotens Deus deserit, non cum auxilio suæ protectionis impendit. Dicit ergo: [*Pedes sanctorum suorum servabit*:] Quia omnipotens Deus infirmitatem nostram in ferendis subditorum nostrorum oneribus adjuvat: ut nos nec adversa atterant, nec latitiae seducant. Tunc quidem à Domino pedes nostri servantur, cum divino auxilio roborati obviantia mundi latitiae contemnimus, adversa nulla formidamus: cum stabili patientia gratauerint mala ferimus, & inconclusa humilitate sublimem animum à vanâ delectatione refrænamus. Possunt autem pedes sanctorum, fides, & amor Redemptoris intelligi. Quibus profecti pedibus graduntur, cum eum, quem per fidem fides credunt, amore consequuntur. Hos profecti pedes servari sibi à Domino postulabat, qui precabatur, dicens: *Super excelsa statu me, ut vincam in claritate ipsius.* Super excelsa statuitur, cui Redemptoris divinitas revelatur. Et in claritate ejus vincit: quia dum ejus claritatis radix illustratur, cuncta maligni spiritus tentamenta destruuntur. Statutus quidem in monte pedes tenet, qui veritatis contemplatione arduus est, & ejus, quem credit summi Patris unigenitum, amore succensus. Super excelsa quidem Petrus statutus erat, qui cum Domino confiteretur, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi, protinus audivit: Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater mens, qui est in celis.* Fundatus enim

Mat. 16.

qui est in celis. Fundatus enim

fide, accusus charitate, cum, quem amabat, etiam praedicabat. Bene ergo de reprobis subjunctum est: *Et impij in tenebris conticescent.*

Qui enim impij hoc in loco, nisi Judæi intelliguntur, qui à pietate verae fidei sunt extranei, & Redemptoris morte cruenti? De quibus rectè dicitur: *In tenebris conticescent:* quia sancti super excelsa statuti, Redemptorem mundi, quem in divina maiestatis claritate conspicunt, æternis laudibus contentur. In tenebris ergo tacent impij: quia Judæi ideo Redemptorem non predican, quod ineffabilis eos illa claritas divinitatis non illustrat. Scriptum quippe est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini.* His quippe tenebris damnatos eos intuens, Ioannes ait: *Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenduntur.* Hinc David non oportet, sed prophetans, dicit: *Obscurior oculi eorum, ne videantur, & dorsum eorum semper incurva.* In tenebris ergo tacent impij: qui etiā Judæi divinæ Scripturæ verba in Dei laudibus proferunt, dum Filium negant, Deo Patri nulla vocum obsequia consecrant. Deo enim sicut, qui Patrem laudans, unigeniti laudem taret. Sed quem crucifixum despiciunt, quando judex venerit, expavescunt. Unde etiam subditur:

Quia non in fortitudine sua roborabit vir, Dominum formidabunt adversarij ejus.

Nunc autem durus in infidelitate, fortis in errore est: & quem credere Deum contemnit, audacter blasphemare non metuit. Velut vir siquidem nunc vinci non potest: sed tunc sicut vir nequaquam roborabit, cum is, qui eorum insidiis crucifixus est, in sua maiestate conspicetur. Tunc formidabunt ejus adversarij, quando crucifixi virtute omnia moveri conspexerint, cum ejus iudicio universa summitti, cum per excelsos celos tonantia iudicia audirint æternæ suæ damnationis. Unde & subditur:

Et super ipsos in celis tonabit.

Qui enim, celorum nomine, hoc loco, nisi sancti Apostoli designantur? Quibus profecti celis sublimitas suæ gloriae Dominus reprobrit, ait: *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israël.* Horum profecti celorum tonitrua Judæis Dominus insinuans, ait: *Ipsi judices vestris erunt.* Super Judæos igitur impios tunc in celis tonabit: quia à sanctis Apostolis tunc terribilia iudicia suæ damnationis audient: ut eorum examine sentientiam æternæ mortis accipiunt, quos prædicantes humiliiter vita æternæ bona, persecutionibus affligebant. Quia verò de extremo iudicio ista intelligi debeant, sequitur:

Dominus judicabit fines terre.

Qui sunt fines terra, nisi ultima hujus mundi? Fines verò terra Dominus judicat, ut æquitatis ejus sententia impunita, aut irremunerata nulla derelinquit: quia dum in iudicio extrema concludit, aliquis discutenda non deserit.

Tunc sublimabit cornu Christi sui.

Quando omnes electos in æterna contemplatione sui unigeniti recipierit, ut eis æterna illa, & ineffabili maiestate præsideat, qui dum in præsentis vita peregrinatione viverent, secum non erant. [*Tunc sublimabit cornu Christi sui:*] quando in celitudine sua respicietur sublimitas Redemptoris, De hac sublimitate per Joannem dicitur: *Videbimus in terra illa, sicuti est:* Nam potestas, sive regnum Domini nostri Jesu Christi semper æquale est: sed tunc sublimari dicitur, quando tales erimus, ut ejus sublimitatem intueri valeamus: quidquid enim nunc de illa

Ef. 4. illa sublimitate humana mens sibi potest fingere, omnia nihil est in illius gloria comparatione. Nam scriptum est de illa: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus diligenter se.* Prius ergo Christo datur imperium, deinde cornu ejus sublimabitur: quia tunc sublimitas ejus celstudo respicitur, cum nostra quoque natura a corruptionis sua imo sublevatur, cum renovationis sua integratatem resurgendo suscipit: quia praeclsum lumen contemplari valeat Redemptoris. Si vero in cornu aliquis vult regnum intelligi, per regnum Christi sancta Ecclesia designatur. Quod profecto cornu sublimabitur, quia ima-

A nostra ad Angelorum æqualitatem perducentur. Quare & de electis in Evangelio Dominus dicit: *Erant sicut Angeli Dei in celo.* De ista cornu sui sublimitate, iterum dicit: *Fulgebunt iusti, sicut sol in regno Patris eorum.* Sublimabitur ergo cornu Christi: quia sancta Ecclesia in æterna contemplatione sui Redemptoris extolleatur: & quæ nunc in hac valle miseria depositionis sua pena deprimitur, absorpta tunc morte, renovata æterni gaudij culmine, sublevabitur. Sed hæc jam typica explanatione protulimus, restat, ut in sequenti volumine moraliter exprimamus.

*Mat. 22,4
Mat. 13.*

LIBRI SECUNDI

CAPUT PRIMUM.

MO-
RALIS



UPERIORI libro, dum sacra historie textum moraliter discuteremus, Anna fecunditatem in summa contemplationis perfectione possumus: quia concipere menti, est de summa Dei omnipotentis contemplatione ineffabiliter gaudere: parere autem, in mente concepta charitatis insignia occultare non posse. Nunc autem parienti canticum dicere quid est, nisi conditorem, quem ineffabiliter diligit, veris praconis prædicare? Dicit ergo:

Exultavit cor meum in Domino.

Sed ea, que manducavit, & bibit, que amarum animum habuit, quæ flevit largiter, quæ votum votit: quia illa mens omnipotentem Deum dignè laudare potest, quia dignis agonibus ad charitatis ejus summe pervenit: hec quidem diuturno usu contempnere omnia didicit, & dum cuncta creata ab intentione abiicit, tanto amplius in visione æternæ maiestatis gaudet, quanto alicuius creatura species in suis amore hanc retinere non prævalet. Hæc ergo dicit: [*Exultavit cor meum in Domino.*] quæ cum contemplatis omnibus, solum amat. In hunc profecto affectum venerat, qui dicebat: *Quid mihi restat in celo, & a re quid volui super terram?* Hinc in Deo exultans, dicit: *Vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Hinc sponsa in Cantico petit, dicens: *Osculetur me oculi oris tui.* Dum ergo dicit: [*Exultavit cor meum in Domino,*] quid aliud, quam in ejus oculis inhaesit, quem ardenter diligit, gloriat? Et idcirco illa sola hac dicit, quæ experta novit, quæ vis amoris sit in thalamo sponsi. Cunctis quippe passionum victoriis illustrata, & prælata virtutum culmine ad illam sublimitatem pervenit, ex qua per gaudium mira devotionis exultationisque cor suum in Deo posuit. Et quia cor suum dicit, quid aliud, quam mentis sua libertatem afferit? Reprobi quidem corda sua non habent, quia ex diabolus possident. Unde & de proditore dicitur: *Cum diabolus jam missit in cor, ut iraderet eum Iudas Simonis Iscaricetus.* Si enim Iudas cor suum, & non diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quam diabolus malum poneret. Quòd contra electus vi loquitor, dicens: *Animan meam porro in manibus meis.* Quid enim aliud manus electi est, quam potestas interna libertatis? Quid ergo ei est, animam in manibus portare, nisi interna libertatis gloriam in potestate retinere? Quotiescumque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. Quare & Hieremias Judaico populo graviter delinquenti in properans, ait: *Andi popule fluite, & qui non habet cor.* Hinc item conversus alter Propheta Deo confiteretur, dicens: *Invenit servus tuus cor suum.* Dicit ergo: [*Exultavit cor meum in Domino,*] ut libertatem mentis afferret, sine qua Deum dignè laudare non posset. Sequitur:

Exaltatum est cornu meum in Deo meo.

In cornu electæ mentis intentio designatur, quæ

S. Greg. Tom. III.

B mirabiliter extollitur, cum ad eum gaudendo pervenit, qui super universa consistit. Unde & cornu suum non in alio aliquo exaltatum afferit, sed in Deo. Qui enim transuentia bona diligit, hujus profecto intentio depræsa, non exaltata est: quia in imo figurit, ubi per desiderium locatur. Hinc est, quod in Evangelio Dominus dicit: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Exaltare ergo cornu nostrum volebat Dominus, cum dicebat: *Thesaurizate vobis thesauros in celo.* Exaltatum cornu habentem ij, quibus se Paulus conformabat, dicens: *Nostra converratio in celis est.* Sed qui celestia tantum diligit, si illam intime dulcedinis suavitatem gutare non novit; quamquam valde exaltatus sit, ad hujus tamen exaltationis sublimitatem non pervenit. Ille ergo hac exaltatione sublimis est, qui per incrementa virtutum proficiens, sublimitatem summæ contemplationis obtinuit, non solum, ut perfectè celestia diligit, sed etiam, ut amoris perfectione in sola omnipotentis Dei contemplatione requiecat. In Deo exaltatum cornu habet, qui interius luminis alta visione fruatur, in qua familiari quadam singularitate gloriatur. Quare non ait: In Deo nostro, sed in Deo meo. Meum namque de eo dicit, quem familiariter, ac singulariter diligit. Ad quam certè divina familiarii dignitatem pervenerat, qui dicebat: *Deus meus es tu, & exaltabo te.* Hinc Esaias ait incredulos increpans: *Nunquid parum est vobis molesto esse hominibus, quia molesti estis & Deomeo?* Quæ ergo exaltatione cornu in Deo sustollitur. Deum suum singulariter fatetur: quia summa illa infusio divina dulcedinis, exaltatam mentem, & sui susceptibilem, & valde familiarem facit. Sequitur:

Dilatatum est os meum super inimicos meos.

Qui sunt inimici electæ mentis, nisi spiritus malignus? Quid ergo est dilatatum os super inimicos habere, nisi omnes malignorum spirituum suasiones, amplissima sibi infusa gratia largitate reprobaret? Angusti quippe os habet, qui cunctis fraudibus malignorum spirituum, per considerationem rationis, contraire non prævalet. Os quippe mentis ejus, ratio est, & loqui, deliberare. Os namque repletur, cum mentis ratio per infusam sibi gratiam in contemplationem summæ veritatis attollitur. Repleri quidem ei est, illustratione summæ veritatis imbuiri. Ibi quippe dicit, & quod æterna alter appetat, & quod temporaliter contemnat. Et quia summa veritas amor est, subtilitate veritatis attollit electa anima, ejusque rei charitate, quam didicerit, inflammatur: & tanto strictius servat magisterium, quanto ferventius id sibi inviscerat vis amoris. Cui nimis eti maligni spiritus mala suggerunt, dilatati oris apertione confunduntur: quia veritate summa sapientie instruta, & summi amoris facibus accensa, habet jam contra suggestionem erroris immensam lucem sapientiae: habet & contra oblata mundi hujus pompa inestabilem charitatem. In immitate lucis videt, quæ reproberet, sed per vim sum-

D